DISSERTATIO
MEDICA
DE LEUCORRHŒA,

QUAM Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicœo, Medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciet diſputationibus,

AUCTOR,

MARTINUS - MÉAUDRE DASSIT, ex opido de Conſolens, in novâ partitione, gallicè dictâ, *Département de la Charente*, in almâ Academiâ Tolaſanâ artium Magiſter, olim ſaluberrimæ facultatis Toloſanæ Alumnus, & jam-dudùm in inclytâ Monſpelienſi Univerſitate ſtudioſus die Januarii, anni Domini 1792, Libertatis tertii.

Pro Baccalaureatûs gradu in Medicinâ conſequendo.

Vias, Medicis invias, reperit natura, ſæpiùs illa novum opus exorditur, ubi conatus noſtri deſiere.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis Univerſitatiſque Typographum.

1792.

CARISSIMO AVUNCULO SUO

J. POUGEARD LAJAURIE,

DOCTORI MEDICO MONSPELIENSI;

NEC-NON

TENERRIMÆ MATRI SUÆ,


HAS in arte medicâ primitias, ut publicum extet gratitudinis, reverentiæ & amoris monumentum,

DICAT, VOVET, CONSECRAT;

Additiſſimus & obſequentiſſimus
Filius & Nepos,
M. MÉAUDRE D'ASSIT.

Monſpelii die Januarii 1792.





DISSERTATIO MEDICA

DE LEUCORRHŒA.

LEUCORRHŒA consistit in fluxu ex partibus naturalibus mulierum, humoris aquosi, serosi, lympathici, mucosi, biliosi, chilosi, vel lactosi. Quanquam autem isti humores variis donentur caracteribus, diversoque colore & odore prout variantur causæ ex quibus oriuntur, nimirùm mirari oportet, juxtà *Raulin* quod adeò variæ istæ omnes fluxuum species, nomine generifico leucorrhœæ designentur. Urbanitati *Hippocratis*, inquit idem auctor istud nomen debetur, ut verecundiæ mulierum consuleret, & ut libenter intacto illorum pudore, medicus de isto morbo illas interrogare posset.

Leucorrhœa functiones lædit, plus minusve debilitat, corporaque labefactat, prout fluxus est copiosus & periculosus pertinaciâ vel qualitate suâ. Haud raro, producit iste morbus quamdam consumptionem, semper injucundam; sæpè pertimescendam, aliquandoque nocendam. Tanquam cachexiam ineuntem, hunc fluxum inveteratum post *Hippocratem Hoffman* habebat. *Ferrein* aliique percelebres medici, fluxui ventris, quibusdamque aliis evacuationibus contrà naturam, & quæ sunt simptomata aliorum morborum, fluorem album conferunt. Observavit *Hoffman* quod hæc affectio superveniat tanquam gravedo; simptomata, juxtà *Raulin* initio ferè eadem sunt, quamvis tamen in priori morbo multò lentiora & diuturniora sint.

Aliquando fluores albi apparent poſt menſes retentos vel ſuppreſſos, tunc temporis ægrotantem levare videntur, iſtud verò melius, eſt momentaneum, ſunt enim falſa criſis - adjuvamen imperfectum, aliquandoque nefandum. Iſte fluxus utilis eſſe poteſt, in quibuſdam chronicis, in quibus humorum maſſa inficitur materiâ æterogeneâ, quæ curſui illorum eſt impedimento, tunc quanquam periculoſus ex naturâ ſuâ, fauſtam iſtius materiæ diverſionem operari poteſt, quoque modo, intacta facere cætera viſcera; ſed iſtius modi curationi minimè fidendum eſt; ſæpius enim morbos graviores, aliquandò etiam inſana biles facit. *Vid. Raulin.*

Leucorrhœa ſtatum morboſum certè conſtituit, haudque frequenter benevalentes iſta affectio proſequitur, niſi ſit ephemera. Quædam tamen mulieres, fluore albo benigno, etiam diuturno affectæ fuere, nec ullum patens damnum illorum valetudini allatum fuit, ſed rariſſimi ſunt iſti caſus, & tantùm modo contingunt apud mulieres libidine non labefactas illi enim fluxus, inquit *Raulin;* quando ſunt diuturni, paulatim perſpirationem inſenſibilem, cæteraſque naturales evacuationes imminuunt, nunquam verò illorum locum tenent, quia non ſunt in ordine naturali. Idem auctor cenſet, quod illi ſimul cum otio, & irregulari vivendi modo progreſſi ſunt, ideò juxtà ipſum graſſantur in urbibus, & inter præcipuè divites. Raro quæ regularem & exercitam vitam agunt, hoc incommodo laborant; & ſi veteribus credamus, apud ſeniles tantùmmodò dignoſcebatur. Hodiernis autem diebus, cum luxuries, & in omni genere depravatus ordo, ubique reperiantur, iſte morbus, cunctas ætates invadit. *Hoffman* vidit puellam fluore albo affectam, ex eo ipſo die, quo in diem prodiit; *Nenter*, *Sennert*, *Doetus*, plurimique alii auctores, puellas, duobus, vel quatuor, vel decem annis & ultra affectas videre; eademque facta *Raulin* refert, & hunc morbum in iſtis caſibus hereditarium putat. Vulgò tamen exorditur illa affectio, circa duodecimum. vel quatuordecimum annum.

Non ſemper in utero, vel in canali ſuo oritur fluor albus, frequentiſſimè autem producitur à pravo habitu in toto corpore, vel à quâdam depravatione in maſſâ liquidorum.

Nulla adſunt viſcera, juxtà *Raulin*, quæ materiem hujuſce fluxûs ſuppeditare non valeant. Non raro chilus, lac, ſerum ſanguinis, lympha, & ſuccus nutricius, per hanc viam partim fluunt, quandò ſcilicet iſti humores à naturâ & eſſentiâ ſuâ receſſere: haud ægrè illud concipietur, dummodò attendatur ad ſimpathiam inter uterum & cæteras corporis partes, quæ ſimpathia evidenter demonſtrata fuit ex principiis

Aretei, *Scribonii - Largi*; *Galeni*, & *Oribasii* quæ iterùm confirmata fuit ex experimentis celeberrimorum, tum veterum tum recentium medicorum, inter quos emiuent *Balonius*, *Sennert*, *Riverius* *Hoffman*, *Boërhaavius*, *Fernel* *Mercatus*, *Duret*, &c. Videtur inquit *Balonius*, quod fluores albi producantur à vitio generali in toto corpore existenti, vel tantum modò in utero. Ista assertio, iterum ex sequenti observatione confirmatur: quando iste fluxus, ex semetipso, vel à quadam imprudentia, suppressus est, non sublatâ causâ productrice, brevi, quædam viscera, non sine periculo, læduntur, quæ quidem læsio oritur ex decubitu & metastasi materiei æterogeneæ, quæ evacuari debuisset per vias in quibus istum caracterem depravatum adepta erat. Hinc videtur, quod semper tum in abundantiâ, tum in diuturnitate, tum denique in illorum imminuitione, vel suppressione, periculosi sint fluores albi, nisi juxtà naturæ vota cedant, tum ex solis ipsiusmet viribus, tum ex artis operâ tempestivè adhibitâ.

Inter morbos chronicos fluor albus recenseri licet: ille sicut priores apparet, post longosquorumdam viscerum, vel generales vel particulares morbos; ille quoque oritur ex suppressâ vel retentâ quadam evacuatione necessariâ, vel ex aliis causis massam liquidorum, vel totum sistema solidorum, malè afficere valentibus; ex quodam violento nisu, & immoderatis animi pathematibus aliisque aberrationibus à regulis diæteticis; tum denique ex otio constanti, & assueto, mollitieque perseveranti. Ex his omnibus, paulatim cunctæ functiones perturbantur, sensimque ægrotantes in langorem cadunt. Talia sunt exordia & principia morborum chronicorum in genere, & præcipuè fluoris albi.

Materia quæ hunc morbum producere valet, potius in quasdam partes, & in quædam viscera irruit, pro functionibus illorum, proque sensibilitate & irritabilitate quâ fruuntur. Hinc patet, quod cum uterus maxima sensibilitate, & sibi peculiari & exquisitâ vitalitate sit præditus, cum aliundè innumera vasa in illo sanguinem ex diversis visceribus afferant, patet inquam, quod in illo frequentius irruere debeat materia quæ fluxum de quo agitur, constituit. Enim verò juxtà observationem *Hoffman* humores æterogenei, in toto corpore sparsi, haud ægrè per uterum evacuantur, in quo *Raulin* post *Duret* observat adesse simpathiam cum omnibus corporis partibus tanquam generale corporis emunctorium, illum habent *Mercatus*, *Paracelsus*, cæterique innumeri medici.

Si paulisper fluxus perseveret, uteri vasa laxantur, illiusque substantia, labefactatur. Hinc sæpius fiunt dilacerationes, erosiones, & ul-

cera, quæ fluxui novam anſam præbent, illum augent, periculoſumque & aliquando inſanabilem faciunt. Afficitur uterus ut ſuprà expoſui, à vitio generali in totâ œconomiâ animali, ſed præſertim læditur à quibuſdam accidentibus, ipſius ſubſtantiæ ſupervenientibus, talia ſunt laxitas in fibris, illorum pauciſſima elaſticitas, nimiaque rigiditas, &c.

Variis donantur coloribus fluores albi, pro tempore quo in utero materiæ ætogeneæ fit decubitus, proque diverſis qualitatibus humorum qui illos producunt, pro diverſo vivendi modo, proque diverſis cibis quibus veſcuntur ægrotantes & ſæpè pro cauſis quæ illos determinant. Qualitates illorum agnoſcuntur ex ipſorum coloribus & effectibus. Qui viridi colore & viſcoſi ſunt, maximè ſunt irritantes; qui autem nigreſcentes, peſſimi ſunt & periculoſiſſimi; qui pallido vel albo colore gaudent, ſunt ex omnibus minus periculoſiores; maximè autem corroſivi ſunt qui lauturam carnium æmulantur. Cenſet *Raulin*, quod cacochimia ſcorbutica, ſemper irritantes, & haud rarò corroſivos, fluxus albos reddat.

Simptomata leucorrhœæ, variare debent, pro variis cauſis quæ hunc morbum vel produxere, vel nutriunt. Quandò à generali vitio producitur, tunc ſimptomata non ſunt eadem ac illa quæ obſervantur quandò à læſione cujuſdam organi pendet, cum igitur mens noſtra ſit, agere tantummodo de fluore albo ab utero provenienti, ſimptomata enumerabimus huic ſoli affectioni peculiaria, qualia ſunt pallor faciei, ſpontaneæ laſſitudines, major, minorve maraſmus pro mali diuturnitate, virium proſtratio, ſæpèque ſolutio; inappetentia, cibi faſtidium, lentæ & imperfectæ digeſtiones, cachexiæ, ingurgitationes variorum viſcerum, glandularumque lympathicarum obſtructiones; œdemata in inferioribus partibus ſuperveniunt, ſi diutitius ſtet, vel ſedeat ægrotans; ſi verò jaceat, eodem incommodo oculi corripiuntur. Dum in utero materia permanet, maximâ acrimoniâ fit prædita, in vaginâ pruritus, calorem & excoriationes ſæpèque ulcera in utero producit, in illoque phlogoſim plus minuſve dolorificam excitat. Hinc dolores in matrice, renis, inguinibus, & in pubi, &c. Hæc ſimptomata, quandò ſimul crevere, concomitantur lenta febris, phthiſis & innumera alia damna, ſemper pertimeſcenda, ſæpèque periculoſiſſima.

hæc ſimptomata inquit *Raulin*, à diebus *Hippocratis*, ſerie obſervationum confirmata ſunt; non tamen apud omnes ægrotantes tam ſæviter graſſantur, ſin autem, lethalis ferè ſemper foret, morbus de quo agitur. Sed variatur periculum, pro temperamentis, debilitate vel vigore quibus ægrotæ gaudent, pro illorum ſenſibilitate diverſiſque animi pathematibus, pro illorum aberratione à regulis diæteticis, pro denique negligentiâ in præveniendis hujuſce morbi conſequentiis & effectibus.

In genere tanquam causa remota fluoris albi haberi debet, quidquid in corpore alterationem sensibilem afferre potest, qualis est humidus aër, partibusque æterogeneis gravidus; (hinc fit quod frequentior sit ille morbus in regionibus in quibus stagnant aquæ, & in quibus multæ sunt nebulæ, sicut in Holandiâ, &c., &c.) Pravorum abusus ciborum, aquarum stagnantium, fermentatorumque liquorum potiones; & violenta animi pathemata, cæteræque à diæteticâ aberrationes.

Tanquam causæ proximæ fluoris albi absolutè haberi possent, solidorum debilitas, illorumque nimia rigiditas, vel sensibilitas; varia liquidorum vitia, viscerum obstructiones, & in cerebro vel pectore fluxiones. Quæ omnes causæ ad fluorem album disponunt, & aliquando illud agunt immediatè; sed cum vulgò hoc non eveniat, cum aliundè per causas immediatas intelligere debeamus quæ uterum afficiunt, jam acturi sumus, (ut superius indicavimus) de illis tantùm modo causis quæ in utero sedent, & post quas totam curationem nostram statuemus. Cum igitur limites hujus dissertatiunculæ, non sinant agere de omnibus causis quæ fluorem album producere valent, cum aliundè illud conamen non sit propositi nostri, putavimus quod sufficiens esset de frequentioribus agere, id est de illis quæ ad uterum spectant. Cæterum qui plura de reliquis cognoscere cupiet, librum aureum dom. *Raulin* adeat, in illo reperiet quidquid de istâ materiâ desiderari potest.

Tanquam causa immediata leucorrhϾ igitur haberi debet, laxitas particularis fibrarum uteri, illius vasorum contrractio, obstructiones & schirri; copiosæ hemorragiæ, menses retenti vel suppressi ulcera & polyppy, &c., &c. Quidquid demum functionibus illius visceris nocere potest, hunc morbum producere valet.

Hic mihi observare liceat quod nulla in corpore humano pars adsit, nullaqne viscera tam obnoxia ingurgitationibus quam uterus. Quas jam enumeravimus causæ præsertim observantur apud mulieres lautè & copiosé comedentes, parùm corpus exercitantes, sedentariam autem & inertem vitam agentes; recens partas, quæ lac derivant, nutrices quæ maturè nimis lac infantibus subducunt, feminas temperamento pituitoso vel phlegmatico donatas, & multum aquæ bibentes; mulieres tandem quorum sanguis à febre quâdam lentâ vel alio chronico morbo dissolvitur; quæ remediis aperientibus abutiuntur, quæque debili & delicatulâ constitutione sunt præditæ.

Agnosci potest mulieres hâc affectione laborare ex inspectione illorum vestium & urinarum, si fortè intempestivo pudore hunc fluxum celarent. Si continui sint fluores albi, semper maculatæ sunt camisiæ, sin

autem intermittant, rarò in errorem medicus inducitur præ... paulò antè, vel paulò post menstrua fluant; invadunt enim vel ... cunt appropinquantibus vel desinentibus mensibus.

Urinæ inquit *Raulin* : dum fluunt fluores albi, sedimentum continent pituitosum, album magis & crudum quam in statu naturali; insuper observat idem auctor, quod quidam in illis reperiantur albidi & pituitosi flocculi quibus vulgò carent.

Sæpè confunditur leucorrhœa cum cæteris morbis qui eamdem naturam sortiri videntur, quales sunt ulcera in utero, gonhorreæque virulentæ. Leuchorrea à fluxu matricis distingui potest, tum quando est recens, tum quando est inveterata. In primo casu, materia leucorrhœæ, nihil habet purulenti, contrarium evenit in ulcere matricis: in priori morbo, parùm adest acrimoniæ, fluxus autem in ulcere, acerrimus est, & fetidissimus; in leuchorrœâ recenti, levissimo ad summum calore & dolore afficitur uterus, utrumque simptoma, semper in posteriori observatur. Nunquam invadentes fluores albos, febris concomitatur, plerumque verò cum ulceribus jungitur, quibus vulgò præcedunt inflammationis nec non suppurationis signa, quod nunquam in leucorrhœâ observatur.

Quandò inveterata est leuchorrea, tunc ex iisdem signis deduci debet diagnosis, sed multò difficilior est. Sæpè sæpiùs enim contingit, quod fluores albos concomitentur, febris, calor, dolor in utero &c.; contingit etiam quòd humor non tantùm modò acrimonia & fetiditate sit præditus, sed & purulentus. Pleraque signa, quæ jam in ulcere recensita sunt, sæpè igitur reperiuntur in fluore albo, & tunc temporis difficillimum est ne dicam impossibile, illa discernere.

Frequenter à recenti, vel inveteratâ, vel tandem permanenti gonhorreâ, distinguenda venit leucorrhœa. A recenti distinguitur, in eo quod, in leucorrhœâ non adest magna inflammatio in vulvâ, nec in vaginâ; non adest quoque ardor inter meiendum sicut & in gonhorreâ; in hoc posteriori morbo non coïtu nisi maximo cum dolore frui queunt ægrotantes, quod non evenit in leucorrhœá. Si verò hæc affectio sit inveterata, difficilius discernitur, ab illo morbo venereo de quo agitur. differentiam tamen utriusque morbi attingere poterit, qui attendet ad simptomata antecedentia, quique observabit, quod gonhorrea contrahatur per impurum cum ægrotantibus commercium, quòd contrà nunquam contagiosa sit leucorhœa; quod denique illa aliquandò leves producat excoriationes, sed absque ullo damno.

Interdùm uterque morbo simul laborant ægrotantes, quisquis sit qui prior invaserit: sed tunc ex variis simptomatibus huic utroque morbo peculiaribus, haud ægrè distingui poterit.

Ex ſignis modò enumeratis, vulgò fluores albi à gonhorreâ diſtingui poſſent; ſi ſemper ægrotæ vera confiterentur: quandoque vero, illæ gonhorreâ quâdam affectæ fuerunt, non ſatis conſpicuâ ex pauciſſimo ardore intrà meiendum, leviſſimoque in partibus calore: alias, ægrotans parum attenta, vel ignara, hæc ſimptomata neſcivit, vel illa neglexit, vel quandoque præparatis reſponſis, in errorem inducere de morbo quo laborat, conatur. In his cunctis caſibus in ſolâ medici maximé exercitati ſagacitate, lumen aliquod reperiri poteſt.

Fluores albi interdum junguntur cum aliis morbis, quales ſunt ſtrumæ, ſcorbutus, cæteræque infirmitateſque periculoſiores, ſemperque curatu difficiliores illos faciunt.

Tantum variare debet curatio fluoris albi, quantùm variantur cauſæ quæ illum produxerunt. Ante omnia, cognoſcendæ ſunt indicationes oriundæ ex morbo ipſo & ſimptomatibus, ex ægrotantium temperamento, illorumque vivendi modo; noſcenda quoque ſunt remedia ipſarum conſtitutioni magis conſentanea, & aërem in quo vitam degunt. Leucorrhœæ curatio, in genere, non ſuſcipienda, niſi prius à ſanguine cæteriſque humoribus ſecreta ſint diverſa vitia quæ illis alterationem afferunt; ſic lenientia ſunt adhibenda, ſi acrimonia prædominium teneat, incraſſantia autem & abſorbentia, ſi ad diſſolutionem fluida tendant. Eò diutiùs præparantibus inſiſtendum erit, quò morbus magis inveteratus fuerit, vel materia qualitate magis acri & corroſivâ gaudebit. Tutò diluentia, humectantia & lenientia in hoc morbo uſurpari queunt, ſi fortè indicantur illa remedia; non enim ſubitò juxtà clariſſ. *Aſtruc* fluxum ſiſtere poſſunt, nullamque in utero impreſſionem producunt: maximâ autem cum cautelâ, ad aperientia, vulneraria & aſtringentia, etiam in his caſibus in quibus conveniunt confugiendum erit: illa enim remedia affirmante jam laudatiſ. *Aſtruc*, vel fluxum ſiſtere valent, vel inflammationem in utero determinare. Qui iſta accidentia fugere cupiet, pergit idem auctor, ferè ſemper diluentia cum aperitivis jungat, humectantia cum aſtringentibus, lenientiaque cum vulnerariis. Suprà enumeratorum, virtus etiam remediorum, narcotici cujuſvis, parciſſimâ doſi adhibiti, ope & beneficio, moderari poterit.

Si hæc irritæ fuerint cautelæ, ſi uterus inflammetur, & maximus dolor in hac parte penſentiatur, tunc ab iſtis remediis abſtinendum, & maximè ab injectionibus aſtringentibus, in matrice præcavendum erit.

Si ex difficili partu, vel ex abortu oriantur fluores albi, vel ex violentâ ſecundarum extractione, ex copioſis menſtruis, fluxibuſque ſanguineis ex nimiâ ſeroſitate, tunc juxtà *Raulin* laxatur uterus. Ad

tonica igitur confugiendum eſt ; ſecretioneſque in ſtatu ſuo naturali reſtituendæ. Amara & aromatica remedia intùs ſumpta has duas indicationes adimplere valent. Suadet *Hoffman* infuſiones agrimoniæ , ſimphiti conſolidæ , ſalviæ , & millefolii , &c. &c. magno autem cum ſucceſſu aquas minerales ferrugineas *Sennert* uſurpavit. Semper horumce remediorum uſui præcedant dulcia cathartica , præſertim ſi ægrè fiant digeſtiones , & ſi ſit ſaburra in primis viis. Adminiſtrari etiam debent purgativa tonica, tempeſtivè ſecundum indicationes adhibita. Quæ vero indicatio adimpletur ope decoctionis tamarindorum , catholici , radicum rumicis patientiæ , polypodii vulgaris , ope infuſionis rhabarbari , mirobalanorum , roſarumque pallidarum Ex his autem omnibus remediis , nullum tantâ virtùte pollet , quam decoctus kina in ſucco urticæ , albæ.

Quod ſi cauſa morbi unicè in utero ſedeat , minùs in his generalibus remediis inſiſtendum erit ; metuendum eſt enim ne damnum afferatur cæteris viſceribus , nullo vitio affectis. Tunc autem ad curationem localem confugiendum erit , nec tamen generalia remedia , omninò omittenda. Ab *Hippocrate* & *Galeno* commendantur irrigatio ab alto , fotus aromatici , & injectiones , quæ etiamſi non uſque ad uterum per orificium illius perveniant , ejus tamen collum & ſuperficiem irrorant , quod magnum producit levamentum , præſertim quando maximâ acrimoniâ donantur fluores albi.

Nunquam oleoſæ ſint injectiones , fieri autem debent partitis vicibus , & fractâ doſi ; quæ verò frequentiùs adhibentur in laxitate uteri , ſunt aquæ minerales & martiales. Quando acrimonia fluxus albi , temperanda eſt , tunc ſimpliciter injicitur aqua communis , vel decoctio hordei. Appropinquantibus vel fluentibus menſtruis , ab injectionibus abſtinendum eſt , illa enim vel imminuere vel ſiſtere poſſent. Nonnulli ſuffimentum commendarunt poſt injectiones ; ſed ex illo remedio , non major utilitas , nec minùs periculum quam ex injectionibus ſequitur. Iiſdem igitur cum cautelis & parcitate uterque adminiſtrari debet. Vulgò in ſuffimentis adhibentur ſubſtantiæ aromaticæ , quales ſunt , ambra , benzoinum , olibanum , ſantala , nux muſcata , &c.

Quando omia leucorrhœæ ſimptomata mitiora facta ſunt , & ſupereſt tantùm modo fluxus ſeroſitatis claræ , cui favent uteri ſecretoria , vel illius textus cellularis , tunc magis inſiſtendum eſt injectionibus & aromaticis ſuffimentis , quibus jungi poſſunt , ſi illud ſit abſolutè neceſſarium quædem leniſſima aſtringentia.

Juxta *Raulin* quandò fluores albi ſuppreſſi fuere ex pravo regimine ; vel ex remediis intempeſtivè propinatis , nunquam abſtinendum eſt à

viis illorum fluxum promovere valentibus. Quod ſi irrita fuerint omnia auxilia ad hunc ſcopum tendentia, tunc evacuationes excitandæ quantùm fieri poteſt, vel viis naturalibus vel artificialibus.

Haud rarò nutriuntur fluores albi à ſchirro, vel tumore in matrice, difficillimè iſti tumores invadentes agnoſcuntur, ſæpè enim exiſtunt, nec præſentiam illorum perſentiunt ægrotantes. Cum autem jam inveteraſcant, protuberantia in regione uteri aſpicitur, verſus pubim inclinat ventriculus, graviſſimoſque dolores in hâc parte producit: ex hoc quoque vitio comprimuntur veſſica, vel inteſtinum rectum, illorumque functiones perturbantur. Horumce omnium accidentium, prima ratio habenda eſt, & illis ante omnia remedium afferendum, his enim ſublatis plerumque cedit leucorrhœa. Aſt verò quandoque remedia ſapientiùs adminiſtrata, hos tumores augent, nedum tollant: ut enim aſſerit *Boerhaavius*, ægrè obtinetur ſanatio ſchirri in viſceribus. Affirmat *Hoffman* quod difficiliùs illi curentur, quàm præveniuntur. Initio tamen horumce morborum, balnea in aquâ edulcoratâ ope plantarum emollientium commendat celeberrimus ille medicus intus dulcia aperientia aſſumi jubet, ſuffimentaque ſuadet ex lixiviâ geniſtæ vulgaris, ex antimonio aquis que ferrugineis. Hæc inquit idem auctor, remedia maxima virtute pollent adverſus obſtructiones uteri. Ferrum commendat *Zacutus Luſitanus*. Cuncta hæc auxilia exercitio, ſapientique regimine adjuvari debent, & purgativa tempeſtivè propinanda ſunt. Si ſuprà commendata remedia non adhibeantur, niſi cum jam inveteratus fuerit ſchirrus, tunc in cancerem illum vertunt inſanabilem, præſertim ſi ſit in utero in quo introduci nequeunt ſola convenientia remedia, ſcilicet ferrum & ignis: quanquam enim tanquam ſpecifica adverſus cancerem olim laudatæ fuerint belladona, & cicuta plurimorum tamen ſapientium medicorum obſervationes & experientiæ. Accuratiſſimæ non de his ſpecificis fidem habere ſinunt. Nullum ego remedium adverſus cancerem uteri proponere auſim, innumeri enim auctores celeberrimi quorum diu opera meditavi, eo mihi adduxere ut nullum credam remedium aliquâ fide in hoc morbo dignum. Tanquam inſanabiles haberi poſſunt fluores albi quos fovet cancer in utero, materia ex eo fluens, diſtinguenda eſt à materiâ canceris ſimplicis; pallidè alba eſt, ſimilis in conſiſtentiâ albuminis; & concreta; in vaginâ tandem maximas producit irritationes. Curatio palliativa hujuſce morbi, ſolummodo tentanda eſt, quæ pro variis circumſtantiis variabitur. Suadet *Morgagni* ad hanc irritationem compeſcendam injectiones, cum quantitate ſufficienti lactis, cui adjunguntur quædam opii præparationes. Has maximo cum ſucceſſu adhibuit *Raulin* ita ut ſaturni præparationes extùs applicatas: illas quoque maximè commendat *Ballonius*.

Quandoque ulcera corrodunt uterum leucorrhœâ laborantium ; illaque complicatio agnoſcitur ex dolore quo ægrotans afficitur , ex continuâ irritatione in partibus affectis ; creſcit dolor tactu partium ægrotantium majuſque ſpatium complectitur , & fluxus adeſt purulentus : interdùm nullo odore pollet , alias verò flavus , viridis & fetidus , ſæpèque ex diuturnitate deterrimam adipiſcitur qualitatem. Diuturni uteri morbi , inquit *Hippocrates* totum corpus vitiant , illudque labefactant. Qualitas puris ex utero prodiens , quænam ſint huic affectioni remedia congrua ſatis indicat. Remedia adverſùs ulcera uſurpata ſeverum regimen concomitari ſuadet *Balonius*. Tempeſtivè dulcia purgativa , clyſmataque emollientia adminiſtrat : tanquam alterantia , ſuadet decoctiones braſſicarum & brunellæ , plantaginis , roſarum , caryophyllatæ vulgaris , veronicæ , geranii robertiani , & pimpranellæ , &c. , &c. Multùm laudat ſerum lactis , mixtum in vaſo plombeo , cui adjungitur ſuccus quarumdam plantarum ſuprà laudatarum. Cenſet *Raulin* , quod in uteri ulceribus , nunquam intùs ſumpta omittenda ſint , balſamica , & vulneraria. In iſtis caſibus , maximè conveniunt balſama. Aliquandò ex votis ceſſere aquæ minerales ſaponem continentes ; vel illæ intùs aſſumuntur , vel in injectionibus adminiſtrantur. In eodem morbo commendat *Hoffman*. injectiones ex aquâ , *d'Arquebuſade* , ſuccini , gummi elemi & balſami peruviani ; diverſa autem illa remedia , admittenda ſunt ſolummodò , quandò ulcera non perfectè cicatricantur , quanquam ſublatæ fuerint cauſæ quæ illa produxerant , & quandò nullus dolor nullaque ſupereſt ſenſibilitas.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

PROFESSORES ILLUSTRISSIMI,

PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ , *Univerſitatis Cancellarius.*

GASPARDUS-JOANNES RENE' , *Decanus.*

ANTONIUS GOUAN , *Pro - Decanus.*

FRANCISCUS BROUSSONET.

HENRICUS - LUDOVICUS BRUN.

HENRICUS FOUQUET.

JOANNES-BAPTISTA BAUMES.